



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XVI. De vehiculorum ornamentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

cant eine Winde/ à vertendo, quia conversione crebra ferrum longum procedit receditve, prout ratio negotii videtur postulare. Quamquam, quæ de verbis Philoxeni adferimus, nobis ipsis sint incerta dubiaque. Cum has machinas veteribus fuisse notas ambigamus: Certè veterum sciamus neminem, qui earum aliquam fecerit mentionem.

Cap. XVI.

De vehiculorum ornamentis,

Ἄρματα ποικίλα. Ornamenta vehiculorum ex ære, plumbo albo, stanno, argento, auro. Aurea vehicula nulla. Ex argento calata. Calare, in argento calare, quid. Vehicula auro distincta. Staticulum, quid. Sigillum. Eborata vehicula, gemmata. Politiani versio notata. Isidorus emendatus. Instrata vehicula. Sternere arceram. Rota aenea auro culta. Axis ferreus. Temo argenteus. Iugum aureum. Incoquere argentum. Habena aurea. Bractea in habenis. Fræna aurea. Ἄρμα χρυσοχάλινον. Interpres vetus Esra notatur. Strata equorum aurea & purpurea. Phalera. Monilia gemmata. Pectoralia aurata. Iunctura argentea. Meursii lapsus. Sublimia ornamenta. Crines equorum inter aures collecti in nodum. Χρυσά μπουκας. Solea argentea, aurea. Mula unius coloris. Coloris candidi. Lucianus explicatur contra Erasmum. Mula unius magnitudinis. Iulius Africanus exponitur. Mula bene saginata. Muliones cum vestitu albo, coccineo, &c.

VENIO ad vehiculorum ornamenta: Nam & ipsa exornabant variè temporibus antiquis. Inde legas apud vetustissimum Homerum ἄρματα ποικίλα non uno loco, quæ intelligi vix possunt, nisi diversimodè exculata atq; exornata. Hesychius: Ποικίλα, περιποιημένα, κενάμωπισμένα. Pæcila, variegata, exornata. Fuerunt verò illa ornamenta olim ferè ærea. Hinc enim apud dictum Poëtam Il. Δ. ἄρματα ποικίλα χαλκῶ, currus ære ornati. Similiter habemus locis aliis. Ut Il. K. petit Dolon ab Hectore præmii loco sibi dari Pelidis

-- τὸς ἰσπυρ τε καὶ ἄρματα ποικίλα χαλκῶ.

Inveniuntur tamen & ex plumbo albo apud ipsum. Ut Il. F.

Ἄρματα ὃ χρυσοῦ περιποιημένα κασιέρω τε.

Vertunt: Currus autem auro ornati stannoque. Sed κασιέρω est

plumbum album. Plinius lib. XXXIV. cap. 16. *Pretiosissimum plumbum candidum à Græcis appellatum cassiteron.* Et mox: *Plumbum album habuit auctoritatem & Iliacis temporibus teste Homero cassiteron ab illo dictum.* Quibus verbis respexisse ad hunc locum videtur.

Quantquam & stannum veteres adhibuerint, sed postea, & invento Galliarum, fuitque stannum illud incoctum æreis operibus in vehiculis, ut liquet ex ejusdem Plinii dicti libri cap. 17. Homerus in superioribus addebat etiam χρυσῶν, unde constat ista ornamenta aliquando quoque aurea fuisse. Atque ita videas apud eundem Il. K. in vehiculo Rhefi Thracum Regis:

Ἄρμα δὲ οἱ χρυσῶν τε καὶ ἀργύρου ἐν ἑσκήλατ.

Currus autem ei auro & argento scite fabrefactus est. Nota, & argentum adhiberi solitum hoc sine. A Latinis, nisi fallor, hæc vehicula *erata, argentata vel aurata* dicta. Lampridius in Heliogab. *Habuit vehicula & aurata, contemptis argentatis & eratis.* Vopiscus in Aureliano: *Dedit potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, cum antea erata vehicula fuissent.* Erant autem ornamenta hæc vel sparsim hic & illic affixa vehiculo, vel eidem undiqueque inducta. De posteriori genere accipio παρχρῦσες δίφρους Myrtili apud Sophoclem in Electra:

Μυρτίλ & ἐποιμάβη

Παρχρῦσων δίφρων.

Ratallerus ita vertit:

Præceptus datus ex aureis

Provolutus est quadrigis.

Sed vehicula tota quidem aurea non existimo habuisse: inducta solum ornamentis aureis fuere. Ideò παρχρῦσες appellavit, quasi essent, quæ haberent aurum non per omnia, sed in certis tantum partibus. Ita sanè πάρχρυσον οἶνον Dianæ Ephesiæ appellat Aristophanes in Nubibus Act. I. scen. 6. quæ tamen tota aurea non fuit. Scholiastes optimè illo loco: Πάρχρυσον οἶνον λέγει τὸν πολυτελέστατον ναόν. *Auream per omnia ad eam vocat templum exquisitissimè cultum & ornatum.* Ita ergo & δίφρος & πάρχρυσος, exquisitissimè ornatus currus: Quomodo & ὀλόχαλιον ῥέδιον alibi ostendimus accipiendum non de prorsus ænea rheda, verum ære undiqueque inducta ornataque. Quæ verò qualiaque

qualiaq; fuerint ex auro, metallisq; cæteris, illa ornamenta, non est promptum satis dicere. Apud Plinium quidem ita legitur lib. XXXIII. cap. 3. de Romanis: *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Curtius quoq; de vehiculis Darii lib. III. cap. 3. *Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata:* Verum, qualis ea fuerit cælatura, non commemoratur. Puta tamen *argento*, vel *ex argento cælare*, nil significare aliud, quam effigies argenteas eminentes extantesq; facere in vehiculis. Hoc enim & alias Latinis est *cælare*. Sic *cælata pocula* intelliguntur. Et apud Livium lib. IX. *scuta habes auro cælata*, quæ sunt culta imaginibus variis ex auro eminentibus & protuberantibus. Ita ergo & vehicula habebant culta ornataque. Ipsa erant per se ex ligno, more solito. Huic deinde ligno cælatae imagines variarum rerum, florum, animalium, hominum, Deorum, ex ære, argento, auro, addebantur. Atq; hoc, opinor, est, quod volebat Plinius, quando dixit, *cælata ex argento*. Non erant vehicula ipsa argentea, & imagines dein expressæ cæto, hoc enim *cælare in argento*. Quomodo Virgilius *Æn. I.*

Cælataque in auro fortia facta patrum.

Sed imagines solæ cæto erant formatae ex auro argentove, ac impositæ vehiculis. Hinc apud eundem Curtium de vehiculo Darii legimus, *utrumque currus latus Deorum simulachra ex auro argentoque expressa decorabant.* Sola illa simulachra erant aurea & argentea, non currus ipse totus. Nam *expressa* hoc in loco quidem non sunt alia, quam *cælata*. Vopiscus iccirco vehicula istiusmodi vocavit auro argentoq; *distincta*, in Aureliano: *Currus regii tres fuerunt. In his unus Odenati argento & auro operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Habes & hic currum Persicum, à Persarum Rege dono datum, ac propterea haud dubie formatum ea specie, qua solebant apud Persas. At fuit non argenteus vel aureus, verum auro argentoq; distinctus. Qui autem est *distinctus*, nisi hic illicque variis imaginibus ex auro argentoq; cælatus? Adornatum auro argentoq; nominavit Curtius lib. X. cap. I. ubi de opibus Persagadæ, qui & ipse Persicæ fuit originis: *Equorum domiti greges sequebantur, currusque argento*

& auro adornati. Neq; aliter intelligenda verba Plinii superius laudata, ubi de vehiculorum ornamentis loquebamur stanneis. *Cæpere*, inquit, & *esseda*, & *vehicula*, & *petorrita* exornare, similique modo ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria per venit, quæque in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur. Ridiculè hoc loco viri docti staticulum exponunt currus genus. Quæso enim, quomodo, si genus fuit currus, potuisset atteri in vehiculis, quod Plinius testatur. Currus certè non est in vehiculo, sed ipse sibi est vehiculum, nec in vehiculo atteritur, sed atteritur, si atteritur, per se ipse. Sed nec, si genus fuit currus, cerni potuit in scyphis. Nec enim ulla genera vehiculorum, quæ imponi scyphis poculisve consueverunt. Ac ne illos quidem rectè puto facere, qui staticulum signare volunt *essedi anteriorem partem, in qua firmus & status manet, qui habenas equis regit*. Non enim magis pars hæc, quam vehiculum integrum, cerni terive in scyphis solebat, quod tamen de staticulis confirmat Plinius. Contra staticula Plinio imagines & emblemata, qualibus ornari atq; incrustari multis scyphis apud veteres solebant, atq; unde maximâ accipiebant admirationem æstimationemque. Ciceroni sunt *sigilla*, & scyphi eis ornati *scyphi sigillati*. Verba ejus in Orat. VI. Ver. *Quum sederem domi tristis, accurrit Venerius, jubet me scyphos sigillatos ad Prætorem statim afferre*. Hic profectò scyphi sigillati, in quibus cernebantur staticula, sicut Plinius loquitur. Nempe staticula sunt à statuis, pro quibus iccirco usurpavit Hieronymus: *Vxor Loth fit staticula salis*. Pari sensu legas apud Tertullianum adversus Gnost. cap. 2. aliisque locis. Et quia statuis parvis, sigillis, imaginibus, sive ex toto, sive ex dimidio speciem suam exhibentibus, adornabant scyphos, sicut effigies ipsorum Bayfio in libello de Vasculis exhibitæ testantur, iccirco Plinius staticula cerni memoravit in scyphis. Qualia deinde staticula transferebantur etiam ad *esseda*, & *petorrita*, & id genus alia vehicula, artificiosissimè cælata, & crustarum instar hic illic imposita, unde postea vehicula ipsa cælata dicebantur. Solebant autem hæc staticula vel sigilla fieri non ex metallis solum, sed

&

& rebus aliis, ut ebore. Hinc *eborata vehicula* Plauto quoque memorata in *Aulularia Act. II. scen. i.*

Clamores, imperia, eborata vehicula, pallas, purpuram.

Lampridius in *Heliogab. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis.* Memorat hoc loco Lampridius etiam gemmata, id est, gemmis pretiosisque lapidibus distincta. Id enim proprie *gemmatum* Latinis. Philoxenus: *Gemmatum*, ἡ φωτὸν, διάλιθον. Herodianus nominat *διάλιθων πεποικιλμένον* lib. V. ubi de hujusmodi Heliogabali vehiculo: *Συγκαθεσθεὶς ἀπὸ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅσως διὰ χρῆσιν πολλῶν καὶ λίθων τιμίων πεποικίλο.* Vertit Politianus: *In vehiculo imperatorio confidente, quod erat auro multo gemmisque exornatum.* Quamquam, cum φορείον alias lectica quoque sit, dubitari hoc de loco posset, nisi de vehiculis Heliogabali gemmatis etiam Lampridius testaretur. Habebant ergo & gemmata vehicula Romæ, saltem Heliogabali temporibus; Aliis enim temerè non legas. Nam Aureliani peregrina fuere, Odenati scilicet, & à Persarum Rege missa dono. Vopiscus sic de ipsis, triumphum Aureliani describens, cap. 33. *Currus regii tres fuere. In his unus Odenati, argento, auro & gemmis operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Tamen & de curru Constantii, quo intravit urbem, Ammianus lib. XVI. *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quadam misceri videbatur alterna.* Tribuit alias & Uranix Deæ Politianus in versione sua. *Ipsum porro Dei simulacrum impositum vehiculo, quod esset auro pretiosis que lapidibus exornatum, deducebat ex urbe in suburbanum, ait.* At Herodianus aliter: *Τὸν ὃ Θεὸν, inquit, αὐτὸν ἐπισησας ἄρματι χρυσῷ τε καὶ λίθοις τιμιωτέτοις πεποικιλμένον κατήγεν δὲ τὴν πόλιν ἐπὶ τὸ παρὰ σείον.* Quæ verba docent, non currum, sed simulacrum Dei auro gemmisque fuisse cultum: Cum πεποικιλμένον non ad ἄρματι, quo cum calu minimè convenit, sed Θεὸν sit referendum. Imitatione tamen istiusmodi vehiculorum postea Prudentius in *Psychomachia* tribuit *Luxuriæ*

-- -- *Currum varia gemmarum luce micantem.*

Et hi quidem sunt ornatus, quibus culta Regum, Principum, aliorumque

rumve virorum magnorum, vehicula videntur. Reliquorum communiter fuere picta. Primis quidem temporibus veneto, post ruffato colore. Ita sanè de pilentis Servius ad Virgil. VIII. Æn. v. 666. *Erant autem tunc veneti coloris, non, ut nunc sunt, ruffati.* Repetit hæc eadem Isidorus lib. XX. cap. 12. nisi quod pro *nunc* malè hodie legatur *tunc* in vulgatis libris. Color venetus est pallidè virens, ac quasi vitreus, similis marinis fluctibus, propterea *κυανε* à Græcis appellatur. Nominarunt & cæruleum. Isidorus lib. XVIII. cap. 41. *Iunxerunt equos venetos aquis vel aëri, quia cæruleo sunt colore.* Equi veneti cærulei dicuntur esse coloris. Itaque venetus color cæruleus est, talemque veteres in vehiculis habuere. Videtur allusisse Virgilius, quando de vehiculo Neptuni lib. V.

Cæruleo per summa levis volat æquora curru.

At ruffus color, qui successit veneto, est *ροφῶδης*, qui Latinis alias & luteus, qui hodieque in vehiculis ad usum revocari cœpit. Ante magis frequens fuit ruber, qui veteribus est *μυλινός* sive miniacijs. Quamquam & prisca temporibus apud Romanos in Capitolio Iupiter in quadriga miniacea legatur, uti docet Servius ad Virgilii Ecl. VI. Possis credere instrata quoque vehicula tapetis aut linteis apud veteres. Hinc enim fortasse Paulus l. 5. §. 1. ff. de supell. Leg. *De tapetis autem vel linteis, quibus insternuntur vehicula, dubitari potest, an sint in supellectile.* Neque alio respexisse putes Sextum Cæcilius apud Gellium lib. XX. cap. 1. ubi de arcera: *Arcera vocabatur plostrum tectum undique & munitum, quasi arca quadam magna vestimentis instrata.* Et in lege veteri apud eundem ex tabulis duodecim proposita *sternere arceram* est vehiculum vestimentis ita adornare. Quamquam de tapetis, vestimentis, linteis hujusmodi non sciam satis, an ad decus pertinuerint. Videntur sanè magis supernè imposita pluvie arcendæ causa, sicut hodieque tegi alicubi non corio solum, sed & panno viliori consueverunt. Certè tectum undique vehiculum Cæcilius hic memorat, & tectum vestimentis. Neque alia est causa dubitationis in proposita Pauli lege. Nempe, quoniam tapetes tegumenta illa fuerant, poterant videri sicuti toralia in supellectile connumeranda. Quia tamen operiebant atque involvebant vehicu-

hicula, ideò dicuntur se habere potius sicut pelles, quibus involvuntur vestimenta. Nec enim est ratio alia, cur pellibus ejusmodi à Paulo comparentur. Sed de istiusmodi vehiculorum tectis loco alio. Interea vix dubito, quin & ipsis in vehiculis quandoq; ornatus splendorisq; causa habuerint tapetes aliaque id genus vestimenta pretiosa. Video nimirum talia circumdata vehiculo Imperatorio Heraclii, quod in nummo veteri exhibetur apud Lipsium de Cruce. Suntq; ibi non picta solum, sed & gemmis margaritisq; culta. Nam Homerus velle aliud videtur, quando de vehiculis Lycaonis

Il. E. *Curvus*

Καλοὶ, πρωτοπαγεῖς, νεολευχέες, ἀμφὶ δὲ πέπλοι
Πέπλαναι. -- -- -- --

Pulchri, recens compacti, nuper facti, circum verò stragula expansa sunt. Scholiastes quidem verus sic ad locum hunc: *περὶ ἀυτῶν πέπλοι. Πέπλοι δὲ λεγὰ ὑφασμάτια. Circum eos pepli, sunt verò pepli vestes tenues, quasi tenuibus & subtilibus his vestibus fuerint ornati.* At Eustathius: *πέπλοι δὲ τὸ ἰμάτιον ἐστὶ ἐλαύθια, ἀλλὰ ὑφασμάτιον δονοειδὲς καὶ ἀπελαννύμενον τῶν δίφρων εἰς ἀπόβησιν καπνῶ καὶ κόνεως, καὶ τῶν τοιούτων.* Vult, nisi fallor, tantum storeas fuisse, quas vehiculis domi repositis circumdabant, ne inquinarentur à fumo pulvereque. *Peplus, ait, non est vestis hic, sed textum secundum aliquos ex arundinibus, curribus circumdatum, ut arceat fumum, & pulverem, & id genus alia.* Neq; alia interpretatio convenire cæteris hujus loci melius videtur. Certè ornata fuisse vestimentis etiam, cum starent domi, vero non est consentaneum. At tegi contra quaslibet injurias istiusmodi storeis ne quidem hodie ignotum est. Præter hæc habebant aliquando alia quoque ornamenta. Ipsa namque vehicula per se lignis eminentioribus, velut regulis, cymatiis, toris, coronis, & ejusmodi, decorabantur circa oras. Ita habes cultas bigas quadrigasq; partim apud Philippum Rubenum lib. I. Elect. cap. 30. partim apud Onuphrium Panvini-um in imaginibus variarum tabularum, unde istas quoque huc transulimus.

Dd

Simi-



Simili ratione in Notitia Imperii carruca Præfecti urbis variis ornata cernitur, sive globis, sive orbibus, habetque sculpta velut delphinorum capita, in longas squamas desinentia ex utroque latere. Ac hæc quidem ornamenta ipsorummet sunt vehiculorum. Scorsum verò legas rotas æneas, cum circulis aureis & canthis æreis in curru Minervæ apud Homerum II. E. Apud Ovidium lib. II. Met. in vehiculo Solis est :

-- -- -- Aurea summe
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Prudentius in Psychomachia facit currum Luxuriæ habentem

-- -- -- Radiorum
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.

Eodem in curru memorat

Et solido ex auro pretiosi ponderis axem.

Imitatione quadam currus Solaris apud Ovidium, ut puto, cui & ipsi Aureus axis erat.

Apud Homerum axis potius est ferreus in vehiculo Minervæ, ut firmior, onerique ferendo convenientior, maximè, cum ad prælium accommodandus currus esset. Idem Homerus in vehiculo eodem

dem temonem facit argenteum, qui apud Ovidium est aureus. Facit & jugum aureum, quod apud Ovidium est ornatum gemmis.

*Per juga chrysolithi, positaque ex ordine gemma
Clara repercusso reddebant lumina Phæbo.*

Et revera tale fuit in vehiculo Darii, de quo Curtius lib. III. cap. 3. *Distinguebant internitentes gemma jugum, ex quo eminebant duo aurea simulachra cubitalia.* Loco auri gemmarumque adhibebant alii plumbum album, solebatque illud incoqui æneis præsertim jugis. Plinius lib. XXXIV. cap. 17. *Plumbum album incoquitur æreis operibus, Galliarum invento, ita, ut vix discerni queat ab argento, eaque incoctilia vocant.* Deinde argentum incoquere simili modo capere, equorum maxime ornamentis jumentorumque jugis Alexia oppido: Reliqua gloria Biturigum fuit. Hic incoquere argentum vel plumbum album jugis æneis nil aliud, quam, cum fundi debent, cocto æri & liquefacto plumbum tale vel argentum addere, ut plus splendeat, penitusque accipiat argenti colorem. Præter vehicula, illorumque partes, etiam adjuncta ipsis animalia exornabantur. Habenas profecto legimus in ipsis aliquando aureas, unde currus ipsi Græcis χρυσήνιοι. Hefychius: χρυσήνιοι, χρυσᾶ ἰνίαις ἔχον, οἷον καλὰς. Aliquando bracteas solummodo addebant aureas argenteasve. Unde Prudentius in Luxuriæ curru commemorat

Bracteolis crepitantia lora.

Fuerunt hæ bracteolæ clypeolorum instar aut claviculorum, sicut suspicamur ex Notitia Imperii, in qua occurrunt hac effigie in eqvis carruchæ superius memoratæ. Habenis addebantur fræna aurea. Meminit Cassianus de Reg. Cænob. Æg. in vehiculo duorum tribunorum: *Τριβάνοι τινες δύο μὲν πολλῆν κόμπην εἰσελκνύθεισαν, ῥεδίον, ἔχοντες δολόχαλκον, καὶ χρυσοχαλίνας ἰπῶας.* Tribuni quidam duo vehabantur multa cum pompa, rhedam habentes totam æratam, & equos cum frænis aureis. Apud Efram lib. III. cap. 3. equi sic ornati appellantur ἄρμα χρυσοχαλίνον, quod Interpres vetus male vertit *currum aureo fræno.* Meminit & Virgilius in eqvis Æneæ missis dono ad vehiculum seu currum. Sic enim de ipsis:

Tecti auro, subvum mandunt sub dentibus aurum.

D d 2

Dicit

Dicit autem amplius Virgilius, tectos quoque auro equos illos fuisse, hoc est, habuisse vestes ex auro, quibus erant operti. Quare antecedit quoque :

Iubet ordine duci

Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

Idem Seneca accommodat ad vehicula suorum temporum ep. 87. *Quid, ait, ista vehicula calata, instrati ostro alipedes? &c.* Ornabantur & phaleris, ut ex equis Solis liquet apud Prudentium, cujus verba mox adducam. Fuerunt autem phaleræ clypeoli rotundi, quos in fronte habebant. Etymologus: *Φάλαρα τὰς προμειωπίδης, ἀσπίδης κὼς πλὴν κόσμῳ, πλὴν δὲ τὸ μέλιωπον τῶν ἵππων.* *Phalera, frontalia, clypeolos, ornamenta in fronte equorum.* Item monilibus circa collum. Diodorus lib. XVIII. de mulis in curru, quo cadaver Alexandri Regis deferrebat in Ægyptum: *Περὶ δὲ τὰς τραχήλους χλιδῶνας λιθοβολήπυες.* *Habebant circa collum monilia gemmis distincta.* Atque ista sunt, quæ instar fasciorum circa colla equorum cernuntur in antiquis monumentis, & superius ex columna Trajani à nobis cap. 13. sunt expressa. Tum accedebant lora in pectore, auro multo culta. Hinc Prudentius in vehiculo Solis, quod describit lib. I. contra Symmachum: *Et frenos phalerasque, & equorum pectora anhela*

Aëris inaurati, vel marmoris, aut orichalci

Iusserunt nitido fulgere polita metallo.

Atque ita videas plane in dictis aliquotiens Notitiæ Imperii quadrigis. Neque alia horum omnium est species in equis vehiculo Imperatoris Heraclii junctis. Nisi bis decurrentem per lora omnia orbicularum seriem margaritas accipere malimus. Illud singulare, quod hæc ornamenta Prudentius faciat non ex ære solum orichalcove inaurato, verum etiam ex marmore. Nec enim intelligo factis, quomodo ex eo fieri potuerint. Leguntur etiam juncturæ, quibus ad vehiculum destinantur, ex argento. Inde sunt *juncturæ argenteæ* apud Ulpianum, de quibus egi factis in superioribus. Capitolinus in Vero, cap. 5. *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum juncturis argenteis.* Cum juncturis aureis citavit Meursius in de Luxuria Romana cap. 11. memoria vitio, ut opinor. Quamquam fortè non

non defuerint, qui haberent etiam ex auro. Apud Gaudentium profectò tr. 13. leguntur ornamenta aurea eqvorum mulorumqve, quæ intelligi aliter, quam ut simul & juncturas innuant, vix possunt. *Brutis quoque, inquit, animalibus, equis & mulis, ex argento & auro sublimia ornamenta componunt.* Sunt hic sublimia ornamenta, nisi fallor, pretiosa & eximia, propter auri argentiq; copiam, quam habebant adjunctam. Ad hæc omnia crines quoq; animalium collectos in unum colligatosq; ac erectos aureis funiculis in fronte habebant, eratqve vetustissimum hoc ornamentum, Iliacis etiam cognitum usurpatumq; temporibus, unde χρυσάμπυκας eqvos sic ornatos Homerus appellavit, Il. E. Scholiastes vetus eo loco: χρυσάμπυκας χρυσοχαλίνες, δὲ πρὸ μέγας, ἢ χρυσοκόμους. Κυρίως γὰρ ἀμπύξ καλεῖται σείρα καλὰ χρυσοῦ, ἢ δὲ πρὸ μετώπου τεινομένη, ἢ συνδένεται αἱ τρίχες. *Chrysampycas, aureos habentes frenos, à parte, vel comas aureas. Propriè namque ampyx appellatur funiculus auratus, à fronte extensus, quo colligantur crines.* Eustathius: Ἀμπύξ καλεῖτο σείρα καλὰ χρυσοῦ, τὰς δὲ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων τρίχας συνδέουσα. *Ampyx dictus est funiculus auratus, quo crines in fronte equorum colligantur.* Crines hi funiculis istis erant subrecti in altum, ut inter aures surgerent instar pennarum. Hesychius: χρυσάμπυκος, χρυσοῦ δεσμὸς ἔχων, ἢ πρὸ ἀμπύκα, ὃ ἐστὶν ἡ τῶν τριχῶν εἰς τὸ ἄνω ἀνάληψις. *Chrysampycos, aureos funiculos habentis, ex ampyca, quod est crinium quedam in altum collectio.* Pedibus mularum suffigebant aliquando soleas argenteas. Ita fanè de Nerone Syetonius cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis.* Conjux verò ejusdem fecit etiam ex auro. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Nostra atate Poppea, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Eqvi mulæq; unius omnes plerumq; fuerunt coloris, nam & hoc inter decora vehiculorum atq; ornamenta pridem cæpit numerari. Hoc respectu Seneca ep. 87. *Quid ad rem pertinent mule saginatae, unius omnes coloris?* Sicut nempe vulgo consueverant habere. Curtius de vehiculo Jovis apud Persas lib. III. cap. 3. *Currum deinde Iovi sacratum albescentes vehebant equi.* Virgilius de Turni curru & adjunctis illi eqvis lib. XII.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

De triumphantibus apud Romanos Servius ad lib. IV. *Æn. Qui triumphat, albis equis utitur quatuor.* Etiam privatorum ista fuit cura. Hinc Abdias lib. III. *Nicolaus, quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quatuor mulis candidis.* Observa simul ex his locis, inter cæteros colores antelatum esse candidum. Itaq; & Lucianus optimates Romanorum describens in de Mercede Cond. *Ἀποδημῆν ἐπὶ λευκῷ ζεύγῳ ἐξυπαλάζοντα.* Ubi perperam Erasmus reddidit *rhedam albam: Peregrinari alba in rheda resupinatos.* Cum debuisset vertere: *Sublatos in vehiculum ab albis tractum equis.* ζεύγῳ enim non est *rheda*, verum par jugalium, quod alibi ostendi. Fuitq; hæc de eo sententia non recens, verum vetustissima, ipsiq; cognita Homero, qui propterea de Rhesi Thracum Regis vehiculo equisq; Il. K.

Λευκότεροι χιόνῳ, θετερον δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Candidiores nive, ad currendum autem ventis similes. Magnitudo quoq; spectata videtur, & ut essent omnes equi mulive pares. Hinc enim Julius Africanus l. 34. ff. de *Ædil. Edicto quadrigas & mulas PARES* memorat, quæ simul vendantur & redhibeantur omnes. Scilicet, si ex his perit una, cæteræ etiam fiunt inutiles, quia pari magnitudine substituere aliam non perinde promptum. Verba Africani: *Interdum etsi in singula capita pretium constitutum sit, tamen una emptio est, ut propter unius vitium omnes redhiberi possint vel debeant, scilicet, cum manifestum erit, non nisi omnes quem empturum vel venditurum fuisse, ut plerumque circa comædos, vel quadrigas, vel mulas pares accidere solet.* Seneca in verbis præcedentibus ostendit, habuisse quoq; bene saginatas. *Quid, ait, ad rem pertinent mule saginatae?* Nempe, quæ sunt saginatae, illæ nitent, nitor autem decens est in jumentis. Non autem animalia solum, sed &, qui agebant ea, ornare consueverunt. Ita, qui Darii currus regebant, vestes habebant albas, virgas aureas. Curtius lib. III. cap. 3. *Aureæ virgæ & albæ vestes regentes equos adornabant.* Pro vestimentis albis canusinati fuere muliones Neronis. Svetonius: *Fecisse iter traditur soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Canusinati sunt vestiti la-

na Canusina, quæ fuit rutila, & alioquin erithra appellata, ut ex Plinio cognoscimus. Memorat vestitos cocco Martialis lib. X. epigr. de Mevio: *Pullo Mevius alget in cucullo,*

Cocco mulis fulget incitatus.

Bene *fulget*, quia cocci color fuit splendidissimus. Ad eundem ferè modum exhibetur in Notitia Imperii membranacea coloribusq; picta. Habet enim sive pallium, sive largius vestimentum aliud coccineum supra prassinum sagulum in sinistrum humerum reiectum, cum ocreis rubentibus. Et hæc quidem ornamenta.

Cap. XVII.

De iis, qui quacunq; ratione spectant
ad vehicula.

Auriga. Ἡνίοχος. Agitator. *Philoxenus emendatur, & Lucilius. Aureax.* Locus Festi expenditur. *Vossii sententia improbat, & Scaligeri. Festus corrigitur. Aureax solitarius. Aurigarius. Magister.* Ἡνίοχος. Ἀρμαλιδάτης. Ζευγιδάτης. *Mulio. Codex Theodosianus emendatur. Plaustrarius. Rhedarius. Cistarius.* Ἀμαζάριος. *Vlpianus corrigitur. Carrucharius. Glossæ veteres emendantur. Quadrigarius. Trigarius. Plinius explicatur. Torrentius refutat.* Διοφρεσίης. Διοφριδάτης. *Auriga femina. Vallæ versio Herodoti rejicitur. Currus agere, ducere, ἄμαξέειν. Trahere currum.* Ἀμαζαν ἔλκειν. Ἀμπρέειν. *Currum vehere quem.* Ἡνιοχέειν. Ἐγκραλεῖν τῶν ἡνιῶν. *Habenas tenebant sinistra, flagellum dextra. Flagellum repositum in iugo, vel theca. Sustinere currum.* Ἐπέχειν. *Strigare. Impellere currum, retorquere, agitare.* Ὄρθῆν ἐλαύνειν. *Flectere.* Παράρπειν. *Versare.* Στρέφειν. *Perielaύνειν. Vox & clamor aurigæ, strepitusque. Sedet in sella prima seu temone primo. Ambulat interdum prope jugales. Versio Dionysii rejecta.* Ὀρεικόμης. *Seneca expositus. Mulio excalceatus. Aurigæ servi, aliquando & liberi. Quartarii. Perpetuarii. Ars aurigandi.* Δρόμος. Ἀρμαδρόχιας. *Orbita. Vestigia rotæ.* Τροχαί. Ἀρμαλιδασία. Διοφρεσίη ἐπισήμη. *A quo inventa. Valuerunt ea Barcæi quondam & Libyci & Cyrenenses. Aurigationes varia. Donaria aurigarum.* Παράβιας. Παροχέμενοι. Ὀχέμενοι. *Sedentes rheda. Conscendere, adscendere, inscendere vehiculum.* Ἐπιβαίνειν. Ἀναβαίνειν.

Tolli